



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Thomæ A Kempis Canonici Regularis Ord. S. Augustini De  
Imitatione Christi Libri Quatuor**

**Thomas <von Kempen>**

**Coloniæ, 1723**

XXX. De divino petendo auxilio, & confidentia recuperandæ gratiæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45773](#)

Ego bene merui tribulari , & gravi.

Oportet utique ut sustineam : & utinam patienter , donec transeat tempestas , & melius fiat.

Potens est autem omnipotens manus tua , etiam hanc tentationem à me auferre , & ejus impetum mitigare , ne penitus succumbam ; quemadmodum & prius sæpius egisti mecum , Deus meus , misericordia mea .

Et quantò mihi difficilius , tantò tibi facilior est hæc mutatio dexteræ Excelsi .

### C A P U T   X X X .

*De divino petendo auxilio , & confidentia recuperandæ gratiæ.*

1. **F**illi , ego Dominus , confortans in die tribulationis .

Venias ad me , cùm tibi non fuerit bene .

Hoc est , quod maximè consolationem impedit cælestem , quia tardius

tardiūs te convertis ad orationem.

Nam antequam me intentè roges, multa interim solatia queris & recreas te in externis.

Ideoque fit, ut parum omnia profint, donec advertas, quia ego sum, qui eruo sperantes in me: nec est extra me valens auxilium, neque utile consilium, sed neque durabile remedium.

Sed jam resumpto spiritu post tempestatem, reconvalesce in luce miserationum mearum: quia prope sum, dicit Dominus, ut restaurem universa, non solum integrè, sed & abundanter accumulatè.

2. Nunquid mihi quidquam est difficile; aut ero similis dicenti & non facienti?

Ubi est fides tua? Sta firmiter & perseveranter.

Esto longanimis, & vir fortis: veniam tibi consolatio in tempore suo.

Expecta me, expecta, veniam, & curabo te.

M 4

Tenta-

Tentatio est, quæ te vexat: & formido vana, quæ te exterret.

Quid importat sollicitudo de futuris contingentibus, nisi ut tristitiam super tristitiam habeas? Sufficiat diei malitia sua.

Vanum est & inutile de futuris conturbari vel gratulari, quæ forte nunquam evenient.

3. Sed humanum est hujusmodi imaginationibus illudi: & parvi adhuc animi signum, tam leviter trahi ad suggestionem inimici.

Ipse enim non curat utrum veris an falsis illudat & decipiat; utrum præsentium amore, aut futurorum formidine prosternat.

Non ergo turbetur cor tuum, neque formidet.

Crede in me, & in misericordia mea habeto fiduciam.

Quando tu putas te elongatum à me, sœpe sum propinquior.

Quando tu æstimas penè totum perditum, tunc sœpe majus merendi initiat lucrum.

Non

Non est totum perditum, quando  
res accidit in contrarium.

Non debes judicare secundūm  
præsens sentire: nec sic gravitati ali-  
cui, undecunque venienti, inhære-  
re, accipere, tanquam omnis spes sit  
ablata emergendi.

4. Noli putare te relictum ex to-  
to, quamvis ad tempus tibi mis-  
erim aliquam tribulationem, velet-  
iam optatam subtraxerim consola-  
tionem: sic enim transfitur ad re-  
gnum cælorum.

Et hoc sine dubio magis expedit  
tibi, & cæteris servis meis: ut exerci-  
temini adversis, quām si cuncta ad  
libitum haberetis.

Ego novi cogitationes abscondi-  
tas: quia multum expedit pro salute  
tua, ut interdum sine sapore relin-  
quaris: ne forte eleveris in bono  
successu, & tibi ipsi placere velis in  
eo, quod non es.

Quod dedi, auferre possum; &  
restituere, cùm mihi placuerit.

5. Cùm dedero, meum est; cùm  
retra-

retraxero , tuum non tuli ; quia  
meum est omne datum bonum , &  
omne donum perfectum.

Si tibi admisero gravitatem , aut  
quamlibet contrarietatem , ne in-  
digneris , neque concidat cor tuum :

Ego citò sublevare possum , &  
omne onus in gaudium transmu-  
tare.

Veruntamen justus sum , & re-  
commendabilis multùm , cùm sic  
facio tecum.

6. Si rectè sapis , & in veritate aspi-  
cis , nunquam debes propter adver-  
sa tam dejectè contristari ; sed ma-  
gis gaudere , & gratias agere .

Imò hoc unicum reputare gau-  
dium , quòd affligens te doloribus ,  
non parco tibi .

Sicut dilexit me Pater , & ego vos  
diligo , dixi dilectis discipulis meis :  
quos utique non misi ad gaudia  
temporalia , sed ad magna certami-  
na ; non ad honores , sed ad despectio-  
nes ; non ad otium , sed ad labores ;  
non ad requiem , sed ad afferendum  
fru-

fructum multum in patientia. Horum memento , fili mi , verborum.

## C A P U T XXXI.

*De neglectu omnis creatura, ut Crea-  
tor possit inveniri.*

1. **D**omine, bene indigeo adhuc majori gratiâ , si debeam illuc pervenire , ubi me nemo poterit nec ulla creatura impedire.

Nam quandiu res aliqua me retinet , non possum liberè ad te volare.

Cupiebat liberè volare , qui dicebat : *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ , & volabo , & requiescam?*

*Quid simplici oculo quietius ? Et quid liberius , nil desiderante in terris ?*

Oportet igitur omnem supertransire creaturam , & se ipsum perfectè deserere , ac in excessu mentis stare , & videre te omnium conditorem cum creaturis nil simile habere.

Et nisi